



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 168. Dixerunt ergo ad invicem non scindamus eam. v. 24.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

**V**erum ô Pater misericordiarum integra maneat benedicta tunica tua inconsutilis, quo unitas Ecclesiæ inviolabiliter servetur, ne charitas vera qua tu & Ecclesia uti sponsus & sponsa unum vultis, nunquam labefactetur. Stet semper in conspectu tuo, ut non tradatur oblivioni, ambulet coram te ad tuam sanctissimam voluntatem semper adimplendam, admittite illam quotidie in thalamum tuum ad perfectam ibidem semper hauriendam doctrinam, qua proles suas in dies instruat. Amen.

§. 168. *Dixerunt ergo ad invicem non scindamus eam. v. 24.*

1. Timentes, ne facta scissione vestis, ipsa ex toto periret, iudicant esse multo conducibilius non scindere eam, sed sortem mittere ad determinandum cuius foret integra.

2. Ob mysterium quia uti dixi, signabat Ecclesiam Christi, quam non vult scindi Dominus siquidem ut Luc. 11. c. dixit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Ecclesiam autem suam voluit inexpugnabilem, unde gravissimo scelere se obstringit qui vel se vel alios ab Ecclesia Christi subtrahit quemadmodum ipse Christus S. Petro Alexandrino veste lacera apparens, conquestus est de Arrio Diacono Alexandrino hæreseos author, dicens. *Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.*

3. Ad documentum nostrum, ne videlicet nos in ipsa Ecclesia fideles scindamus mutuam charitatem per quam in Christo coniuncti sumus, quæque Christum ornat, instar vestimenti, uti ipse insinuat Ioannis 13. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.*

**O** quam displicentem Deo rem agunt, qui ordines sacros, qui clericos, qui Catholicos reges & Principes inter se susurris, oblatione commodorum, spe honorum, honorum & similibus nugis inter se concitant, ut in amaras cavillationes, oblocutiones & scriptiones irruant, etiam arma contra se arripiant, & quid tandem hi concitati & belligerantes lucrantur? vestimentum quod comeditur à tineâ. Si tamen vel id ipsum consequantur, & non fiat eis, quod cani Æsopico, qui umbram carnis sectans, & carnem & umbram hiando amisit. O quam male etiam faciunt, qui redditus Ecclesiæ, ad ministrorum eius necessitates donatos, alio vertunt in militibus sine autoritate vicarii Christi concedunt, imo qui eos convasant sibi, & distribuenda cum aliis soli usurpant, & sic Dei cultum deficientibus ministris extinguunt!

§. 169.